

Quandōcumque igitur nostrōs mors claudet ocellōs,  
accipe quae servēs fūneris ācta meī.  
Nec mea tunc longā spatiētur imāgine pompa  
nec tuba sit fātī vāna querēla meī ;  
nec mihi tunc fulcrō sternātur lēctus eburnō,  
nec sit in attalicō mors mea nīxa torō.  
Dēsit odōriferīs ūrdō mihi lancibus, adsint  
plēbēī parvae fūneris exsequiae.  
Sat mea sat magna est, sī trēs sint pompa libellī,  
quōs ego Persephonae maxima dōna feram.  
Tū vērō nūdum pectus lacerāta sequēris,  
nec fueris nōmen lassa vocāre meum,  
ōsculaque in gelidīs pōnēs suprēma labellīs,  
cum dabitur Syriō mūnere plēnus onyx.  
Dēinde, ubi suppositus cinerem mē fēcerit ārdor  
acciāiat mānīs parvula testa meōs,  
et sit in exiguō laurus super addita bustō,  
quae tegat exstīncṭī fūneris umbra locum,  
et duo sint versūs : « Quī nunc iacet horrida puluis,  
ūnius hic quandam seruus amōris erat.  
nec minus haec nostrī nōtēscet fāma sepulcrī,  
quam fuerant Pthīi busta cruenta virī.  
Tū quoque sī quandō veniēs ad fāta, mementō  
hoc iter : ad lapidēs cāna venī memorēs.  
Intereā cave sīs nōs aspernāta sepultōs :  
nōn nihil ad vērum cōnscia terra sapit.  
Atque utinam prīmīs animam mē pōnere cūnīs  
iussisset quaevīs dē tribus ūna soror !  
Nam quō tam dubiae servētur spīritus hōrae ?  
Nestoris est vīsus post tria saecla cinis :  
cuī sī longaevae minuisset fāta senectae  
Gallicus Iliacīs mīles in aggeribus,  
nōn ille Antilochī vīdisset corpus humārī,  
dīceret aut « Ō mors, cūr mihi sēra venīs ? »  
Tū tamen āmissō nōn numquam flēbis amīcō :  
fās est praeteritōs semper amāre virōs.  
Testis, quī niveum quandam percussit Adōnem  
vēnantem Īdaliō vertice dūrus aper ;  
illīs fōrmōsum iacuisse palūdibus, illūc  
dīceris effūsā tū, Venus, īsse comā.  
Sed frūstrā mūtōs revocābis, Cynthia, Mānīs :  
nam mea quī poterunt ossa minūta loquī ?